

GEORGIVS COLLIMITIVS PHYSICVS.



Georgius Tansteterus à pueris operam literis dedit, atq; in primis Mathematicis disciplinis magna diligentia incubuit. Pari ratione quoque naturali Philosophiae animum applicuit, atq; Medicinæ studium coniunxit. hinc factum ut earum scientiarum magnum sibi usum compararit, atq; ob præclaram eruditioñē cunctis gratissimus fuerit. Scripsit is de applicatione Astrologiæ ad Medicinam, deq; earundem cōuenientia: de ratione dierum criticorum canones: super eadem re axiomata nouem: de diebus criticis inuestigandis ex figura cœli, & puncto temporis quo laborare coepit infirmus: de naturis & proprietatibus Planetarum compendium ex Alkabitio, Firmico, & Haly. Item de ministratiōne pharmacorum & phlebotomia canones postremi: Iudicium tempestatum de portione horaria uestiganda, tabula: Iudicium Albohahen Haly de Medico Astrologiæ imperito, cum alijs huiusmodi. Itaq; hisce ingenij monumentis Georgius anno 1550 omnibus innotuit, atq; apud suæ ætatis homines, ipsosq; posteros magnum sibi nomen comparauit. Con. Geff.